



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein

Bolte, Johannes

Leipzig, 1933

Johannes Narssius, Gustavus saucius, tragoedia (1627)

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69844](#)


GUSTAVUS SAUCIUS
TRAGOEDIA:

IN QUAT
RES SUECO-POLONICÆ
IN BORUSSIA GESTÆ

ANNO CLO DC XXVII

Majore ex parte
enarrantur

JOANNE NARSSIO Anastasij F.
Dordraco-Batavo.



HAFNIAE
TYPIS SALOMONIS SARTORII.
ANNO CLO. IO. C. XXVIII,

Gezeichnete Schauspieler
TRAGÖDIE
in fünf
ACTS
zu zwey Personen
in BORNHARDT GESETZ
VON DR. DR. H. VON KLEIST
Mit einer Vorrede von
WILHELM WERKE
BRAUNSTEIN
Druck und Verlag von
K. F. TRÖTSCH
in BERN
1830

[A 2 a]

Illustri ac generoso Domino

Dn. Iacobo de la Gardie

Comiti in Leckoe, Domino in Kolcke, Kyde et Runschoe etc. Equiti aurato:
 S. R. M. regnique Sueciae Senatori, Mareschallo, Generali exercituum praefecto etc.

J o a n n e s N a r s s i u s felicia omnia a Deo opt. max. precatur.

Offero te dignum, Ductor fortissime, donum.

Nil tenue hic aliud quam mea verba vides.

Offero, quod magnum est, Regem quando offero tantum,

Iudice te maius quo nihil orbis habet.

5 Offero, quod magnum, Regis si Vulnera spectes,

Quo magis haud sensit Suecia triste malum.

Haec tibi convenient, qui viva es Regis imago,

Cui curae haud dubie Vulnera Regis erunt.

Post Livones domitos et multo tempore Moschos

10 Sani nunc Regis ora videre datur.

Gratia sit Superis. Sors laeta utrique perennet,

Ne sit opus tragicis invigilare modis.

[A 2 b]

Ad Clarissimum et Excellentissimum

Dn. Ioannem Narssium

Anastasium, Med. Doctorem atque Serenissimo Suecorum Regi ab Historiis.

N a r s s i , Thespiadum Dux¹⁾ inter clare Poëtas,

Asclepiadei fulgide luce chori,

Qui tricoroniger Historicus das lumina Suedo:

Quam bene te Batavo finxit Apollo solo!

5 Nunc verba in numeros cogis tua docta Maronis

Et Flacci et Senecae nunc modularis epos.

Singula rara quidem: Sed raro rarius, unum

Omnia concursu N a r s s i u m habere meum.

Deproperavit

C a s p a r u s B a r t h o l i n u s , SS. Theol. Philos.

et Med. Doctor ac sac. lit. in Academia Regia Hafniensi Professor ordinarius.

1) Nempe ut Dux gregis ipse caper: Alioqui excessus hic in laude amici. Quid Grotius, Heinsius, Barlaeus? Quid Bartholini ingenuum? Semper in poësi extemporaneum, alioquin quid non praestitum?

[A 3 a]

Benigne lector.

Ut antehac in Riga e d e v i c t a e ac postea in Meva e libera t a e editione de institutionis defectu conquestus sum, ita nunc cramben eandem querelarum recoquere cogor, non sine maiore animi aegritudine, ob remoram toties iniectam non tantum nugis meis poëticis, sed iis imprimis, quae mandato regio prosâ mihi scribenda erant. Dignata fuit clementissime ante biennium fere ipsa S. R. M. inter summas occupationes bellicas me instituere per horae fere spatum elegantissima oratione Latina (quamquam extemporanea), cui parem a Professore nullo vel praemeditato in Suecia audivi, et mandavit aliis, scio, ut plenius me instituerent ac documenta necessaria ex archivis commonstrarent. Nihil autem hactenus percepit, quod vel minimum ad rem faciat. De causis nunc non dispuo nec quemquam adhuc palam accuso (feci litteris privatis, quod oportuit), quamquam materia non decesset et ratio iusta quosdam exagitandi, magis exteris vexandis ac rebus suis augendis intentos, quam ut regio mandato obsequentes Regni totius honori et existimationi tuendae consulant. Sed deploro tantummodo sortem meam et rogo, ne levitatis atque inconstantiae insimuler, si morae nimis longae pertaesus hoc agam dictante conscientia, ut post-hac bona cum gratia S. R. M. quiescam ac sileam, gravioribus in posterum studiis incumbens, quibus magis aetatem trivi quam nugis hisce poeticis; quas, si amicorum suasu non omnino linquendae erunt, sacris aliisque rebus decantandis per otium occupari velim potius quam Principum controversiis. Hanc tamen Tragoediam vel iniussus in lucem deproprio, ut re ipsa ostendam me non ex impetu aliquo inordinato et quasi re infecta statu desere velle; nec tam iniquum esse, ut errores ministrorum regiorum ipsi S. R. M., qua neminem mortalium aequiorem novi, ac Proceribus Regni melioribus etiam imputem. Vale et laboribus nostris qualibuscumque atque etiam quieti ac silentio, si illo opus, benigne fave!

[A 3 b]

Personae tragoediae.

Gustavus Adolphus Rex Sueciae etc.

Maria Eleonora Regina

Axelius Oxenstern Magnus Regni Sueciae Cancellarius etc.

Franciscus Bernardus Comes Turnensis, Legionum Germanarum et Equitum praefectus.

Joannes Bannerius Tribunus militaris.

Chorus { Senatorum Regni Sueciae.
 { Militum veteranorum.
 { Matrum nobilium.
 { Procerum belli et Militum.

Amor coniugal is.

Nutrix.

Nuntius.

Mercurius.

[7]

Gustavus saucius, tragoedia.

Actus primus.

Gustavus Adolphus, Rex Sueciae. Maria Eleonora Regina.

[I, 1]

Gustavus.

Quicunque summum statuit in Sceptris bonum

Et iusta quamvis Regna, quamvis spendida

Haud credit amens mille condiri malis,

Me videat et te, S u e c i a , multis saeculis

5 Quassata Marte; quamlibet victrix, tamen

Labore plena semper et suspiriis.

Me, quem benignum, pacis almae et artium

Themidisque amantem finixerat rerum parens

Natura, ad arma casus invitum rapit.

10 Paterna, avita Regna Mavortem trahunt.

Triplicis coronae factus heres triplicis

Hereditate Martis aerumnas tuli

Primis ab annis. D a n u s hinc factus Patri

Inopinus hostis. Inde M o s e h u s , immemor

15 Datae salutis, classico grates dabat.

[8] Tum maxime P o l o n u s implacabilis

Urgebat, igne ac caedibus vastans agros.

Hos ego iuventae regiique spiritus

Habui magistros, hos voluptatum duces.

20 Armare nostram docuit hostis Pallada

Animoque forti dura quaelibet pati.
 Pro delicata veste, tincta murice
 Cruore tinctus ferreus mihi thorax;
 Diadema galea est; fulgidus sceptri loco
 25 Portatur ensis; hinniens melos est equus,
 Ferrique et aeris sulphure accensi fragor.
 Tellus cubanti lectuli vicem dedit
 Strataeque ramis arborum crebro nives.
 Exercitatus ast diu laboribus
 30 Nunc ista sperno. Robur accrescit malis,
 Et quae timenda atque horrida ignavi vocant,
 Assueta duris grata virtus aestimat.
 Mens recta, fas tutata, propellens nefas
 Amara quaevis vertit in dulcedinem.
 35 Victricia arma si quis imprimis gerit,
 Leve est gravamen. Attamen ne sanguine
 (Crebro immerentum) terra foedetur nimis
 Agerque vastus Marte ne fruges neget,
 Saepe ipse victor hostibus pacem offero
 40 Lege haud iniqua. Da n u s hanc pridem accipit
 Tandemque M o s c h u s . Solus hostis pervicax
 [9] Remanet P o l o n u s , pectus intractabile
 Cui indit atrox infularum factio
 Mentita I e s u m , pacis ac vitae ducem,
 45 Et qui superbus rupe Tarpeia sedet
 Servique titulo iussibus mundum premit.
 Gens versipellis sanctitatis tegmine
 Perdocta mire fascinare Principes,
 Pacem perosa, sanguinem ac caedes ciens,
 50 Quin et cruore Principum lavans manus,
 Obsequia caeca si Dei memores negent.
 Has credulus qui Martis audit buccinas
 Moderata nunquam statuit, infelix, miser
 Bello implicatus semper et laboribus
 55 Dum petit iniqua, perdit haud raro sua.
 Saepe et cruoris vindicem horrescens Deum,
 Uteunque mens sopita fraude dormiat.
 Vigilasne, S i g i s m u n d e , tandem et impia

Deponis arma? Damna iam sentis tua?
 60 Cruore fuso sentis iratum tibi,
 Nobis benignum Numen? An ruere iuvat
 Ductore caeco ulterius et volens peris?
 Pertaesa belli monita non curas Patrum,
 Quos cura Regni tangit. Est solus tibi
 65 Dignus fide consultor, amissae diu
 Qui causa S u e c i a e , causa cur L i v o n i a e
 Expulsus agris nuper et B o r u s s i a e
 [10] Haud parte parva, iam propinquum sentias,
 Quem spernis, hostem. Causa maioris mali
 70 Ne sit vide consultor et sero expetas,
 Nunc quod recusas spiritus altos gerens!
 Pax spreta crebro semper haud refert gradum.
 Iniqua bella, patribus invitatis, amans
 Invito et hoste, sanguini parcens suo,
 75 Cruoris at civilis usque prodigus,
 Hosti usque cedens, civium vastans agros
 Armis perire dignus et regno exui.
 Qui vult perire, pereat. Oblatum est satis.
 Haud victor hosti supplices tendam manus
 80 Nec regna Papae sub iugum ignavus dabo.
 Quod ratio debuit, arma porro extorqueant,
 Pacem, quietem, sacra, iura libera.
 Urgendus hostis pervicax intus magis,
 Iugulum petendum inque ipsa regni viscera
 85 Adigendus ensis. Ipsa, Martem quae fovet,
 W a r s a v i a armis territanda. Lectulo
 Pellendi et aula, qui mihi pacem negant,
 Discant et ipsi frigidum pati Iovem.
 Perruptus aditus nuper est. P i l l a v i a e
 90 Portus reclusus classibus nostris patet,
 Occlusus hosti. Sedulus ligonibus
 Armisque miles P r u s s i c a s servat fores.
 Olim Poloni, noster est nunc V i s t u l a
 [11] N o g a t h i que fluctus Vistula gaudens patre.
 95 Haec in Polonum cursibus retrogradis
 Vectare Martis pondus exoptant vada.

Pertaesa domini veteris. His primordiis
 Insistam et ultra, iussa quod caelo dabit
 Fortuna, capiam. Provide ut parcam meis,
 100 Hostilem in agrum porro Martem transferam.
 Sed maesta nimium, classibus nectens moras
 Suspirii votisque, qua potis, prius
 Firmando coniunx, saepe solamen mihi
 Virtute rara, gentis et regni decus,
 105 At nunc gravamen, fateor, immodico nimis,
 Casto licet amoris oestro percita
 Nostrum quod abitum corde tam tristi ferat,
 Magis mariti quam sui curam gerens
 Prolisque, Regni vota quam tot expetunt;
 110 Magisque solito grande praecinens malum
 Infausta vates: qualiter Agamemnoni
 Caedem occinebat Dardanae vatis furor.
 Sic optima etiam femina est oneri viro.
 Peior quid erit? Amara sic mortalium
 115 Dulcedini miscere consuevit Deus.
 Quid faciam? Amore et ipse vinci me sinam?
 Terrebit animum, quod timet, coniunx amans?
 Amore Regni regium est quidvis pati
 Ipsamque mortem spernere et mortis metum.
 [12] Mala ipsa vera fortis haud multum timet.
 Minus timenda vana, quae metuit amor. —
 Iam prodit ipsa, membra vix luctu trahens.
 Stabo et querelas liberas tacite audiam.

[I, 2]

Maria Eleonora.

Quisquamne regno gaudet et vel mutuo
 125 Felicem amore quempiam reddi autumat?
 Ah, blandiens utrumque quam fallax bonum!
 Regina Sueonum incedo. Regem amo virum,
 Quo nemo maior, nemo amore dignior
 Vel iudice hoste. Redamor ipsa non minus
 130 Nec ulla piae me coniugi, certum est, placet.
 At quantus animum concoquit semper timor,
 Cum tot subit pericla tam carum caput,

Nullum relinquens precibus aut monitis locum !
 Qui facilis alias, hic inexorabilis
 135 Et Holmiana rupe quavis durior.
 O dura, dira, ferrea heroum comes,
 Cupido laudis, quos mihi luctus paras !
 Quantum malorum fronte quam blanda vehis !
 Per te, virorum devoratrix fortium,
 140 Viduata ne sim, vereor. Hectori meo
 Haud metuo frustra Andromache, et unicae tibi
 Iam coniugalis forsitan cessit viri
 Amor fidelis.

Gustavus.

Tempus est abrumpere,
 Ne longius se fundat immodicus dolor.
 145 O socia thalami, rege digna coniuge,
 [13] Tandem querelis regium statue modum
 Nec suspicacem vanus efficiat metus !
 Ut magna peragant, caelitus calcar datur
 Cupido laudis regibus. Alios quoque
 150 Ad honesta stimulo hoc incitari cernimus.
 Virtutis haec est mater et nutrix simul
 Cupido, honestis ambiens laudem modis.
 Moderata solum poscitur. Talem mihi
 Precare, amori haud obfuturam mutuo,
 155 Qui coniugali nos beavit vinculo.
 Haud vacuum amore coniugis pectus gero,
 Quin urit intus haud levis mentem calor,
 Magis sed urit data prius Regno fides.
 Moderamen haec privato amori praecipit
 160 Meo tuoque. Coniugem haud solum viro
 Venisse te, sed Sueciae datum insuper
 Diadema fac ut cogites ! Regni bonum
 Ne, quaeso, pergas impedire lacrimis !
 Pectus mariti fletibus si mollias,
 165 Extorris alibi plura ne plores, vide !

Maria Eleonora.

Te si reservo, lacrimis nusquam est locus.
 Tu mille regnis, mille vitis carior.

Te vel per ignes sospitem lubens sequar
 Vastasque rupes et per insanum mare,
 170 Si vel Moluccas classe vel Iavam petas
 Nostrae vel Ursae forsan obiectum Polum.
 [14] Regina vivam quolibet tecum loco.
 Te caeso (ad ipsa verba tota exhorreo.
 Ah, absit omen!) vita cum Regno perit.
 175 Sed ipse Regni num bonum curas satis,
 Qui tot periclis regium obiectas caput,
 Dum natus heres nullus aula lusitat?

Gustavus.

Pericla, quae videntur, haud pericla sunt.
 Tutator adstat regibus semper Deus.

Maria Eleonora.

180 Tot ergo reges unde pugnantes cadunt?

Gustavus.

Tutator adstat, dum cavent pericula.

Maria Eleonora.

Tentare Numen quisquis audet, linquitur.

Gustavus.

Haud tentat ille, iussa qui caelo facit.

Maria Eleonora.

Iussumne solis regibus cuncta exsequi?

Gustavus.

185 Rex inter arma providus cunctis adest.

Maria Eleonora.

Rex imperator esto, pugnent ceteri.

Gustavus.

Pugnante rege fortius miles ferit.

Maria Eleonora.

Etiamne inermi rege tutius ferit?

Gustavus.

Regem retardant arma, corpus aggravant.

Maria Eleonora.

190 Utrum tibi gravius, arma ferre an vulnera?

Gustavus.

Huc usque vulnus haud fero.

Maria Eleonora.

Ne feras, vide!

Quem saepe transit casus, aliquando invenit.

Ah, horret animus, grande praesagit malum.

Cruor, cruor versatur ante oculos! Cruor

195 Tibi foedat artus, at mihi cor enecat.

[15]

Gustavus.

Credis timori? Vanus est vates Timor.

Maria Eleonora.

Ah, vera timeo, tu nihil quoniam times.

Securitatem sequitur infelix comes.

Procerum monelas saepe spensis, nunc meas.

Gustavus.

200 Atqui serenus commonentes audio.

Maria Eleonora.

Audis monentes, attamen placitum facis.

Gustavus.

Hoc regium.

Maria Eleonora.

Est et regium regere impetum,

Recte monentes, feminas etiam, sequi.

Ratione vinci nullus aestimet probrum

205 Victor Monarcha.

Gustavus.

Vincere ut sexum hunc iuvat!

Cum femina certare si quis occipit

Verbis, triumphus rarus est. Ni dem manus,

Recurret usque amoris haec contentio.

Victum fatebor; interim, quod fas, agam. —

210 Quae, fida coniunx, suggeris, mentem movent.

Rationi et ipse cedo, tuque carior
 Monendo cautum senties magis virum.
 Nunc sacra mecum perage et ad classem veni,
 Boreas in aequor navitas donec vocat!

Maria Eleonora.

- 215 Regum supremus servet (ah) mentem hanc tibi!
 Quas fundo toties, audiat tandem preces!

[16] **Chorus Senatorum regni Sueciae.**

- Numinis summi est genuina proles
 Rex, cui leges pietasque curae,
 Cui salus tantum populi voluptas,
 220 Cui magis virtus probitasque luet
 Splendida gemma Pario vel auro:
 In bonos mitis, facilis, benignus,
 Sontibus poena modica severus,
 Quamlibet iustum moderatus iram,
 225 Haud amans Bacchi aut Veneris nefandae,
 Gnarus insomnes tolerare noctes,
 Sedulus, dignas capiat ut artes,
 Otium causam fugiens malorum,
 Providus mente, at minime dolosus,
 230 Integre servans sacra iura pacis,
 Pace si erupta ferus hostis urget,
 Impiger armis.
 Rege nil tali Superi faventes
 Mittere in terras potuere maius.
 235 Talis ex caelo tibi missus alto,
 Suecia, venit,
 Numen humano nisi rege maius
 Occupat terras. Tuus ille Rector
 Omnium gnarus, tamen usque gnavus,

[17] **Omnibus carus, quia semper aequus.**

- Ipsus orator gravis in Senatu,
 Ipse consultor potius fidelis
 Quam ferox iussu tumidusque sceptro,
 Ipse regnorum peragrare fines
 245 Et metallorum penetrare fundum

Sustinens crebro, meliora cunctis
 Ut ferat praesens, patriaeque lucro
 Ipse bellator, cui par vel ipse
 Non manet Mavors; feritatis expers
 250 Interim et victim miseratus hostem;
 Sanguinis parcus propriaeque tantum
 Prodigus vitae. Bona tot minaci
 Credimus Ponto levibusque ventis?
 Credimus Marti? Liceat iste favit
 255 Hactenus, forsan superatus odit.
 Aemulus semper metuendus ardor.
 Credimus victi meritis volentis
 Regis, at casum miseri timemus.
 Summe ventorum domitor marisque,
 260 Qui simul Martis moderaris iras,
 Sospitem serva pelago atque terris,
 Redde Gustavum patriae atque in uno
 Rege salutem!

[18]

Actus secundus.

[II, 1] Axelius Oxenstern.

Prima iuventa Marte doctus plurimum
 265 Potest in armis. Nec tamen parum potest,
 Quem prima Pallas, Mars secundus instruit.
 Mihi prima cura, fateor, et primus labor
 Fuere libri: sacra, leges discere
 Et scire, quidquid gaudet humanum genus.
 270 Sic eruditus, mente factus providus,
 Generosa avorum stirpe digna praestiti.
 Haud paenitendus regibus binis fui
 Pridem Senator, iamque Gustavo intimus,
 Nestor fidelis, fortis Atlas, Sueciae
 275 Sub Rege, qua fas, pondus et molem gero.
 Curam togatam dum gero, Martem docet,
 Qui Marte maior, iamque docto praecipit
 Gestare pondus Martis et togam simul.
 Hinc parta tueor gnavus et feliciter

- 280 (Fremat Polonus) Prussiae teneo solum.
 Teneo fidelis non mihi, sed patriae
 Regique, honores qui mihi tantos dedit.
 Ut teneam, honore haud turgidus Proceres amo
 Dudum peritos Martis et modice impero
 285 Humanitate iussa semper temperans.
- [19] Heroum honore mutuam pacem colo.
 Consilia Martis rogito et audio lubens
 Recte monentes. Quaero, quae docentibus
 A rege doctus forsitan haud minus scio.
- 290 Sic vana nullum tangit aemulatio
 Et pari et armis noxiun crebro nefas.
 Sed pariter omnes quaerimus Regni bonum,
 Durum nec ulli Rege pro tanto mori.
 His acquiescat utinam et, o, parcat sibi
- 295 Rex semper alias aequus, hic iniquior
 Sibi atque regno, surdus hic monentibus !
 Bella imperando Ducibus Hispanus gerit
 Latitatque semper ipse post primordia
 Absens, inermis subdidit Germaniam
- 300 Cimbrosque Ferdinandus. Anglus eminus
 Commissa Ducibus tela trans pontum iacit.
 Praesens Rupellam Gallus infestat suam,
 Sed parcus Regnique clausus finibus.
 Sic cautores alibi Reges militant.
- 305 Gustavus unus, sortis humanae immemor
 Hostilem in agrum, finibus Regni procul,
 Toties cohortes ductitans vasto mari,
 Vult ipse semper omnia esse in omnibus,
 Dux ipse, Miles ipse et ipse navita;
- 310 Inermis hosti regium obiectans caput
- [20] Dum cuncta lustrat, saepe et exigua manu
 Invadit hostem. Regium hoc quis iudicet
 Ardore nisi par? Audiat multis licet
 Animosa virtus, error est, ni sit modus.
- 315 Mirandus Orbi, fateor, imperterritae
 Hic mentis ardor, at probandus nemini,
 Qui fas et aequam ac Principum vitas amat.

- Fors victor orbis M a c e d o , quem multis refert
 Rex, ut pericla spernat, exemplo facit.
 320 Sed et ille, felix quamlibet diu ac deus
 Dominusque Sortis visus, hostili tamen
 Ex vulnere hominem sensit. Utinam haud sentiat
 Graviora noster neve Rege saucio
 Mortifera Regno sentiamus vulnera !
 325 Fortuna fortibus invida, etsi blandula
 Favensque dudum visa, tandem iniquior,
 Levitate constans, dona commutat malis,
 Et cum minata est saepius, tandem ferit.
 Nescio, quid animus dictat. Insolitus ruit
 330 Tremor per artus, sospitem quando audio
 Rediisse Regem. Gaudio est mixtus dolor.
 Hinc cernere illos laeta mens vultus avet
 Regem probantes. Inde formido mali
 Ignoti, at interim horridi mentem gravat.
 335 Adire R e g e m est animus et, quae Sors dabit,
 [21] Perferre. Monitis debitam Domino fidem
 Praestabo rursum, forte si tandem audiat.
 Monela saepius iteranda, urgentibus
 Mali periclis; nec nimis fidelibus
 340 Metuenda servis ira regum, errore fors
 Si concitetur. Dura potius perpeti
 Fas immerentem quam metu abicere fidem.
 Haec spreta dudum, saepe tandem agnoscitur
 Errore pulso ac digna habetur praemio.

[II, 2] Gustavus Adolfus. Axelius Oxenstern.

Gustavus.

- 345 Regnum per aequor si quis insanum petit
 Magno emit, inermi quamlibet dono datum.
 Quodsi arma iuncta sentit aequoreus labor,
 Pretium est iniquum nimis, et infelix nimis
 Ac stolidus emptor. Vanus hanc sortem mihi
 350 Si fabricaret ambitus calor, reo
 Poena ipsum crimen esset, accumulans mala.
 At me Sacrorum, iuris amor et Patriae

- Non petere sceptrum, sed tueri compulit
 Hereditate parta. Sic tolero lubens
 355 Necessitatis dura tela, degener
 Ne dicar atque ignavus heres. Classibus
 Hinc tento toties pontum. Et hactenus dedit
 [22] Superare monstrum hoc turgidum, immensum, vorax,
 Tuenda sceptrum qui dedit. Sit omen hoc
 360 Superandi et hostis. Turgeat, spiret minas
 Vastoque hiatu devorare nos paret,
 Potentiores sentiet dominum maris
 Dominumque belli. Suscitare spes novas
 Iuvat, subactum Marte cum calco solum.
 365 Spes robur animis addit in malis quoque
 Linquenda nunquam, duplicanda in prosperis.
 Iam salva Classis Prussiae portum tenet
 Avidusque pugnae miles in terram exsilit.
 Servata video gnawiter munimina
 370 Tutata portum. Digna cura Lesseli,
 Cui mox equestris praemium sit laurea.
 Exquirere alia propero. Nunc utinam brevi
 Vocatus adsit noster Oxensternius,
 Socius laborum fidus ille et impiger,
 375 Consilia magno saepe suggerens bono! —
 Iam venit, ecce, nec diu nectit moras.

Oxenstern.

Ah, magne rex parensque, quam feliciter
 Desideratus omnibus tandem venis!

Gustavus.

- Desideratus et mihi vultus tuus,
 380 Fulcrum fidele patriae. Agnosco lubens,
 Quae praestitisse fama te pridem refert,
 [25] Haud praemio caritura. Quo res sunt loco?
 Audire coram certiora mens avet.

Oxenstern.

- Res salva, salvus miles et salva omnia.
 385 Cum salvus adsis, Rex, salus hoc maior est.

In Regna postquam Te, tuis gratantia
 Avide triumphis, serus autumnus tulit,
 Obsequia debita praestitere, quos mihi
 Dabas regendos. Omnia aequata hactenus
 390 Imperia factis. Omne virtute ac fide
 Victum est periculum. Degener solum fuit
 Turba illa, propere Wormita m cui linquere
 Cogente nondum Marte persuasit timor
 Haud gente nostra dignus, exemplo nocens.
 395 Hinc crimen expiare fuso sanguine
 Nocentiores ceteris iussi duo.

Gustavus.

Severitatem saepe Mavors postulat,
 Ne lenitate longius serpat malum.
 Amissa Wormita interim damnum est leve.
 400 Exempli, honoris pondus est magis grave.
 Et Poutscā victa est, audio, sed fortius
 Defensa.

Oxenstern.

Poutscās saepe si sic vicerit,
 Devictus Hostis supplices dabit manus,
 [26] Victoria ulla vix decus tantum attulit
 405 Lucerumque Regno, Poutscā quantum perdita.
 Urbs, quam repente vicerat gens nautica,
 Mandare vix dignante Guldēnhelmo,
 Munimen omne cui Suecus miles fuit,
 Sibi ipse vallum tenue subito fabricans,
 410 Quantum ferebat tempus et loci valor,
 Hostile robur omne, sustinens diu
 Attrivit. Ipsis hostibus miraculum est
 Comperta nostri fortitudo militis.
 Hic, mille quamvis impetitus machinis,
 415 Cessante nunquam fulmine aerato, tamen
 Crebro relictis moenibus pugnam movet
 Campis apertis impari numero nimis
 Hostemque in ipsa castra persecuens ferit.
 Sic cum trophyis centies victor reddit

- 420 Et quidquid ultra est. Viribus tandem minor
 Nec arma regere corpore exhausto potis,
 Haud fractus hoste, sed magis dura fame,
 Quam strage multa et mensibus sex emerat
 Hostis, relinquit urbem honestis legibus,
 425 Urbem obfuturam commodis nostris parum.
 Hostilis ipse militem invictum intuens
 Stupescit I m p e r a t o r et praetor
 Epulisque dignos singulos censem suis.
 Tales Polono exoptat esse milites
 [25] Duceisque, forti qui pares S i t o n i o
 Reliquisque, robur qui dedere militi.

Gustavus.

- Iactura facilis est quidem P o u t s k a e mihi,
 At Hostibus rursum hac potiri commodum est,
 Cum tutius nunc Pomeranus advehat,
 435 Quae Mars requirit. Interim virtus placet
 Consueta nostris et famem tolerans labor
 Meliore dignus cura. In Hoste perplacet,
 Laudabilem exemplo meo quod aestimet
 Virtutem in hoste. Si quis aliter sentiat,
 440 Haud ipse laude dignus est, sed barbarus,
 Sicarii, non militis habendus loco.
 Ferenda nunc haec damna levia. Nunc mihi,
 Nunc Hostibus benigna Sors, forsan brevi
 Meliora redditura. Fortitudinem
 445 Ac spem relinquens abstulit parum aut nihil.
 Sed praeda an hostis uspiam aut incendiis
 Vastavit agros?

Oxenstern.

- More consueto diu
 Tentavit ista saepius, cum frigore
 Duratus amnis pontis instar substituit.
 450 Leviora alicubi damna tum velox dedit.
 Gravioribus sed obstitere gnaviter
 Dispositae in agris turmae, et haud raro simul
 Evomere praedam compulere et sanguinem

Turbam rapacem. Maxime Nitichi,
 455 Cum victor hostis visus est ovans sibi,
 [26] Praedamque mente volvit, agmen abditum
 Pedestre domibus impetu subito irruit,
 Sperlingio ductore, palantes ferit
 Ac strage facta pellit urbe. Ceteros
 460 Tum Tottus acer proxima villa latens
 Pavidos equestri sequitur ac caedit manu.

Gustavus.

Sic iure factus praeda simul et victima
 Praedator Hostis. Laudo virtutem impigram
 Nostrorum et artem provido dignam duce.
 465 Sic Patriae invigilare perge commodis,
 Et bene merenti crescat in dies honos.
 Nunc fac in unum convocare militem!
 Bellique Proceres praemio dignissimos
 Videre gestio, ut, quid expeditat magis,
 470 Votis fideles suggerant. His Insula,
 Quae dicta Maior, aptior visus locus.
 Centri instar erit haec, miles unde quaslibet
 Diffundi in oras poterit. Huc celer vehat
 Nos navita ambos, subsequantur ceteri.

Oxenstern.

475 Mandata peragam gnавiter. — Iam gaudeo,
 Desiderata quod dabitur occasio
 Regem monendi clanculum Regni bono.
 Fere apud honestos, Principes quam maxime
 Privata publicae monela praevalent.

[27] Chorus militum veteranorum.

480 Martia pubes, belli socii,
 Sive in pugnas ire pedestres
 Sive quadrupedum tergore sueti,
 Date laetitiae Martia signa!
 Suavi resonet buccina cantu,
 485 Forti resonent tympana pulsa,
 Fortius aera tonantia nitro,

Dent et ferrea fulmina lucem !

Lux nova nobis laeta refulget.

Lux illa orbis, fulmen belli,

490 Dux ille leo, quo duce cervi

Agmina possint esse leonum,

Toties qui nos omine fausto

Duxit victoresque reduxit,

Toties qui se verum patriae

495 Et nostrum probat esse parentem;

Rex G u s t a v u s , regum summus,

Sueonum nova nunc agmina ducens

Salvus rediit, nobis rediit.

Venit, rediit, nos qui docuit

500 Arma perita versare manu,

Rite explodere missile plumbum,

Rite oblongum quatere hastile,

[28] Regere indomitos rite caballos,

Ordine iusto progredi in armis,

505 Ordine vario flectere turmas,

Dense nunc arctare maniplos,

Nunc aciem diffundere campo.

Venit, venit, cuius cura

Ora fames ne pallida reddat,

510 Cereris capimus munera castris,

Munera sicca simulque liqueantia

Et nonnunquam munera Bacchi,

Queis firmati, madidi, calidi

Possumus atras pellere curas,

515 Nivibus mediis atque pruinis

Saepe quietum carpere somnum,

Saepe insomnes fallere noctes.

Venit, venit semper amicis

Dans animos et robora dictis,

520 Dans imprimis robora factis,

Cum, quae mandat adire, pericla

Ipse subit spretoque timore

Ruit armatos primus in hostes.

Venit, venit, cuius ductu

- 525 Datur hostiles ducere praedas,
 Agmina rapida abducere equorum,
 Rapere argenti pondus et aeris,
 Rapere Ungarici dona Lyaei
 [29] Et caesi gestare P o l o n i
 530 Tunicas auro et vellere dites.
 Venit, venit fortibus ausis
 Digna rependere praemia gnarus,
 Nunc dare munia, nunc dare nummos,
 Nunc alias Mavortis honores.
 535 Quisquis patrio raptus aratro
 Martem discit R e g e sub isto
 Et gnavus mandata capescit,
 Martis crebro sorte beatus
 Stemmate claris cedere nescit.
 540 Vivat Rex, o talis in aevum!
 Vivat, vivat! Nos moriamur,
 Rex modo vivat! Marte secundo
 Rursum hostiles rumpens acies
 Longe pellat sede Polonum
 545 Et nova R e g e m laurea cingat!

Actus tertius.

[III, I] Amor coniugalis Nuntius. Maria Eleonora Regina.

Amor coniugalis.

- Servus Tonantis aliger, quem cernitis,
 Sum, C o n i u g a l i s dictus a priscis A m o r .
 Non impudicae natus ille Cypriae,
 [30] Verum Tonante natus, innocens sacri
 550 Dictata caelo iura qui servo tori.
 Epulis deorum quamlibet frui datur,
 Maciata membra et pallidos vultus gero,
 Ambrosia quoniam nostra felle plurimum
 Commixta et acidus nectari infusus liquor
 555 Volente Patre, mente cuius provida
 Coniuncta semper amaritudo dulcibus,

- Rebus dolor quantumlibet laetis comes.
 Pennas videtis, mentis haud notas levis,
 Sed expeditae servitutis indices.
- 560 Celer volatu his permeo vastum mare
 Orbemque peragro, gnarus ipsos impetu
 Anteire ventos, ipsa adaequans fulmina
 Et cogitata mentis atque oculi iubar,
 Tam longa nusquam spatia quin penetrem ocius.
- 565 Hic talis adsto, nuntium ut iussus feram.
 R e g e m in B o r u s s i s Martis ictu saucium
 R e g i n a Sueonum faxo mox terris sciat.
 Referre miseret tristia, infausta, horrida,
 At nuntianda, tristiora ne sient,
- 570 Dum nesciuntur. Cognita in bonum mala
 Mens sana crebro mutat. Abditum nocet
 Magis, medela quando nulla poscitur.
- [31] Adibo thalamum, nostra quem fecit manus
 Feliciorem, Mars nisi invidus foret.
- 575 Altus misellae venit ex curis sopor,
 Hoc altior, quo rario. Sed interim
 Sopore medio non datur menti quies.
 Ut bracchia iactat! Mobile ut versat caput!
 Quos ductat imo spiritus de pectore!
- 580 Ut bullientes lacrimae ex oculis ruunt
 Vultumque tristem gemmeus liquor rigat!
 Ah, anima mitis, blanda, fraudis nescia,
 Meliore digna sorte, qualem te intuor!
 Quid nuntiabo? Mens mali iam conscientia
- 585 Hos prodit actus. Nuntii haud verbis eges.
 Plorare malim, orare vix sinit dolor.
 Verbo tamen monebo, quo iussa exsequar. —
 R e g i n a , dormis, R e x tuus cum saucius?
 Exsurge, votis vince gnava caelites!
- 590 Nam maius etiam saucium vulnus manet.

Maria Eleonora.

Quid hoc rei? Quid audio videns neminem?
 Re nuntiata Nuntius trepidus fugit.

Mane, mane, quicunque es ! Iram ne time !
 Vix ira iusta pectus in nostrum cadit,
 595 Iniusta nunquam. Nuntius culpa vacat.
 [32] Favore dignus, corde qui fido monet.
 Redi atque casus fortiter fare asperos !
 Cupit animus, quod horret, scire praevisum diu.
 Narrando pauca vulneras. Solacium
 600 Dabis et medelam, cuncta si narraveris.
 Redisne an animo, dure, suspensam tenes ?
 Fugitivus abiit nec reddit. Deerat meo
 Istud dolori; neglegit servus preces.
 Sed anne servus ? Forsitan Termaximus
 605 Dominator orbis. Subvenit visus mihi
 Fugientis alas. Spirat etiam nunc odor
 Ambrosius ille, caelitum fragrans odor,
 Quo nos beare coniuges A m o r solet.
 Amor est. Amoris numen ipsum exhorruit
 610 Ad dicta propria; fugit haud fari potis.
 Haud fugit omnis. Membra fugerint licet
 Levesque pennae, vis Amoris intimis
 Haeret medullis. Quin et impetu novo
 Novisque flammis pectus intus aestuat.
 615 Maiora solito sentio. Crescentibus
 Malis Mariti crescit in nobis Amor
 Hic verus Amor est, fidus ille et integer,
 Solamen unum in maximis doloribus.
 Auget dolorem, cum iuvare non datur.
 620 Fateor. Sed ipse nunc iuvat miseram dolor.
 [33] Lugere iuvat, ah, lacrimis nostris iuvat
 Eluere saniem vulneris. Vel eminus
 Iuvat lavare. Spiritu extremo meo,
 G u s t a v e , volupe est ire in occursum tuo.
 625 Ascende, dolor, ad ultimum propera gradum,
 Sic finiende, summa cum durent parum !
 Mors grata finem rebus afflictis dabit,
 Nec antevertet mors Mariti vulnere
 Graviore mentis sauciam. Me me prius
 630 Fas liberari. Haud imparem tantis malis,

G u s t a v e , linques. Ibo prior et regibus
 Atavis nefandi nuntium easus feram.
 Ah, summe regum, sospitator unice,
 Hunc, quem dedisti, spiritum fessum cape !

[III, 2]

Nutrix. Maria Eleonora.

Nutrix.

- 635 Sollicita mens amantium quantum advehat
 Miseris dolorem, alumna nostra perdocet
 Regina Sueonum. Quantus, ah, illam timor
 Seu iustus ille sive vanus, attamen
 Timor perennis, pertinax miseram enecat !
- 640 Quin mille mortes irrogans, nimis horride
 Absumit igne lento. Et ipsa particeps
 Fio dolorum tantae amore Principis,
 In qua relucet omne virtutum genus.
- [34] Piget referre, quantus hanc urat dolor
 645 Quieta nunquam mens, mali dum praescia
 Sibi visa. Membris, mente turbata, quies
 Etiam negatur. Lacrimat, plangit, gemit
 Sine fine. Gressum trepida nunc huc dirigit,
 Nunc alio. Ad aequor nunc sese vehi cubet,
- 650 Nunc aliam ad arcem. Et advenam quemvis vocat,
 Quaerit, rogat, minata, ni verum ferat.
 Nunc sola lacrimas fundit ac preces Deo,
 Nunc solitudine territa revocat suos.
 Vix cura Cereris ulla, nec pascit cibus.
- 655 Depascit artus anxiae mentis pavor.
 Cibare potius pauperum iubet greges,
 Sollicita rogitans saepe, num fiat satis.
 Maerore totos cum fatigata est dies,
 Nec nox quietem dare potis. Somni immemor
- 660 Noctem querelis dicit aut insomniis
 Pavefacta lucem quamlibet tristem expetit.
 Hinc viribus defecta. Pallescunt genae
 Roseoque cedit ore purpureus rubor
 Multumque nitidi corporis cadit decor.
- 665 Vix onere curvum sustinet collum caput

Et levia macie membra vix portant pedes.
 Vis haec doloris exitum qualim dabit?
 Metuo, marito misera dum metuit nimis,
 Ne causa nobis ipsa lugendi siet.

[35] Cubare sola voluit, omnes atrio

Exire mandans, posset ut somno frui.
 Tamen querelas audiisse visa sum
 Solito haud minores. Clamor etiam tristior
 Nec usitatus auribus sonuit meis.

675 Iniussa adibo forsitan nostri indigam.

Mandata quamvis regia ingressum vetant,
 Iuvare miseros praecipit semper fides.
 Silentii quae causa nunc, scire expeto.
 Haud somnus est! Mors est vel aliquid praeivum

680 Mortis! Benignus hoc malum avertat Deus!

Adeste, famulæ! Nobiles matrum chori,
 Adeste! Regum quisquis aerumnis doles,
 Concurre, medicas adfer ocius manus!
 Regina, moreris? Languidos, o, si potis,

685 Attolle vultus!

Maria Eleonora.

Ah, quid optata via
 Revocas euntem? Vita, cur miserae redis?
 Mors verius quam vita, mille quae vehis
 Mortes.

Nutrix.

Alumna, regios animos cape!

Maria Eleonora.

Omitte nomen regium! Haud regina sum
 690 Nec esse curo. Rex meus, pro, Rex meus
 Gustavus, ah! Diadema, sceptra tollite,
 Adferte saccos sordidumque pulverem!
 Gustavus, ah, ah!

Nutrix.

Fare, Alumna, quid times?

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Maria Eleonora.

Quid verba poscis ? Loquitur exiguus dolor,
 695 Mutescit ingens. Anne adhuc Timor tibi,
 [36] Qui nuntius tam verus ? Ah, silentium
 Permitte saltem, dura, quae mori vetas !

Nutrix.

Silendo crescit abditum crebro malum.
 Novus unde tristis error iste Nuntii ?

Maria Eleonora.

700 Haud error est noster. Potius incredulæ
 Quaerentis error.

Nutrix.

Nuntius quis hic fuit ?

Maria Eleonora.

Quem vetula spernis, carus at nobis, Amor.

Nutrix.

Qua venit, arcis foribus non patentibus ?

Maria Eleonora.

Penetrare qua consueta vis caelestium.

Nutrix.

705 Quid nuntiare visus ?

Maria Eleonora.

Haud visus modo,
 Credenda dixit : saucium R e g e m meum
 Magisque vulnerandum. Ah, plura non queo,
 Et tu rogare desine, importunior
 Quam fas ministrae !

Nutrix.

Taceo. Miserae insomniis

710 Turbata mens est. Error hic priscis fuit
 Deum esse Amorem. Fingit hunc sibi nuntium
 Verumque credit. Mentibus caliginem
 Sic magnus animi motus offundit Timor
 Et quilibet alius. Ferendum nunc mihi,

- 715 Quod ambigenti durior vetat loqui.
 Morbus vetat, non ipsa, qua nil mitius.
 Quandoque mores aegra mens exasperat.
 In Regiis hoc ferre si cui grave,
 Is careat aula ac regiis virtutibus,
 [37] A viliore haec saepe passurus grege.
 Suadebo, somnum capiat ut silens novum.
 Post quaeritanda occasio, qua commode
 Ad recta flecti regii mores solent. —
 Curis, Alumna, lenis o utinam sopor
 725 Ferat levamen!

Maria Eleonora.

Aeviterna utinam quies!

[III, 3] Senatorum chorus. Nuntius alter.

Senator.

- Caelestis aurae portio aut Dei ipsius
 Mens dicta priscis saepe, nescia qui sciat,
 Futura praescit. Causa latet, ast interim
 Gnaram futuri comprobatur exitu.
 730 Delusa sed quandoque falsa imagine
 Haud visa se videre credit. Pervicax
 Raro error iste veritati dat locum.
 Hinc de futuris dicta mente provida
 Fas iudicare. Prona nec nimium fides
 735 Hic esto, nec negetur omne, quod latet.
 Mens dubia caelo nosse quod satis petat,
 Arcana linquat Numini, praesens cui
 Quidquid futurum, cuncta quod nutu regit.
 Ut fausta veniant quae futura, supplices
 740 Tendat manus. Sortem interim ut quamvis ferat,
 Quod fas agendo roboret se sedulo
 Nec imparatum pectus aerumnis gerat.
 Haec cogitamus, suadet infelix metu
 [38] R e g i n a , vates visa quae dudum mali,
 745 Quo gravius ullum S u e c i a e nondum tulit
 Mavortis ira. Vanus an vates Timor

An verus hic, et noster ambigit metus
 Amore natus Principis, cui parem
 Haec nostra nullum, prisca vix ullum dedit
 750 Aetas, parentis qui datus nobis loco.
 Hoc stante stant res Sueciae. Si concidat,
 (Ah, absit omen) cadimus omnes nostraque
 Ruina gentes plurimas secum trahet.
 Incerta quamvis fama mentes aggravat
 755 Regisque solito longius silentium. —
 Sed venit, ecce, Nuntius tardus gradu.
 Silentis, eheu, quid ferat, vultus docet.

Nuntius.

Quem non tridente terruit salsa potens
 Dominator undae, nec minacis Aeoli
 760 Egressa claustris tota ventorum cohors,
 Non saevientis mille Martis spicula,
 Me nunc inermis territat Patrum chorus.
 Non ora terrent aut mali mens conscientia,
 Sed nuntianda nemini non tristia,
 765 Novitate tristiora, cunctis noxia.
 Cor palpitat, vox deficit, labant pedes.

Senator.

Turbatus animo, fare, quos casus refers?

Nuntius.

Infausta, Proceres, nuntiare si scelus,
 Morte expietur nuntiantis. Omnium
 [39] In me feratur impetus. Namque omnium
 Porto dolorem, lacrimas, suspiria.
 Consueta pello gaudia. Eiulatibus
 Metuque regna compleo, iussus tamen.

Senator.

Quae iussus adfers vera, fare libere!
 775 Praevisa forsam tela nos ferient minus.

Nuntius.

Pater ille Sueonum, Martis pubis parens,
 Domitor Poloni, spes Dani ac Germaniae,

Grassantis ille terror unus Austrii,
 Decus illud orbis, vitor ille tam frequens,
 780 Fortuna cui famulata visa est hactenus,
 Eheu, cruentus vulnere infesto iacet.

Senatores.

Iacet? Quid istud? Vulnere an datus neci?
 Hoc, summe regum, averte, quae sumus, malum!

Nuntius.

Iacet cruentus vulnere, at spirans tamen.
 785 Spiraculi quando futurus exitus,
 Haud novit ullus praeter illum, qui dedit.
 Pericla mortis magna satis. Abdominis
 Pertusa regio glande. An usque ad ilia
 Penetrarit ictus, postmodum dies dabit.

Senatores.

790 Pericla mortis sola tristia sunt satis
 In Reg e tanto. Precibus hic tamen est locus,
 Dum vita superest. Mors inexorabilis.
 Sed fare, Regis vulneri quid attulit
 Occasionem? Quis rei gestae modus?
 [40] Quandoque nosse tristia in solidum iuvat.

Nuntius.

Est in Borussis, Gedano haud procul, Insula,
 Quae dicta Minor aut Gedani de nomine;
 In cuius oris extimis, qua Vistula
 Secatur, Hostis terream magna manu
 800 Molem, incubantem flumini, congesserat
 Damna inferentem Suedico munimini,
 Adversa in ora fluminis quod fecerat
 Flamin g u s (hoc Neringiae vocant Caput)
 Aliaque nostris adferentem incommoda.
 805 Hac gnarus hostem sede pellendum ratus
 Tentare Martem hic Rex, spei plenus, iubet.
 Maiorem in Insulam evocato militi
 Cymbas adornat, Vistulam queis remiges
 Superent et oram molis hostilis petant,

- 810 Paulum fugata nocte, quo sit tutior
 Traiectus amnis. Hinc repente improvidum
 Invadere hostem statuit. Ordine dividit
 Operum labores. Fulminante dextera
 Certare suetis impetus primus datur.
- 815 Ductare iussi hos T u r n i u s , B a n n e r i u s ,
 Mox adiuvandi R e g i s ipsius manu,
 Stipantibus queis usus est hostilium.
 Rates maniplis singulis dantur suae.
 Agenda discunt singuli: qui progredi,
- [41] Qui stare in armis fas sit, alterius ope
 Ut roborandus alter. Omnes edocet
 R e x ipse, doctor Martis et ductor simul.
 Regis secutae iussa si turmae forent,
 Humana quantum ratio dictat, ilicet
- 825 Hostem fugassent pristino exanimem metu,
 Multa potitae fulminante machina.
 Ast mente laeva, forte missa caelitus
 Turbatus ordo (causa adhuc mali latet)
 Ripam D u v a l d u s unus hostilem tenet
- 830 Tranante puppe. Ceteri aut latentia
 In brevia rapti aut impediti mutuis
 Haesere remoris. Pars supina navigans
 Iniussa, qua non debuit, propere nimis
 Hosti appropinquat, fluminis vi percita,
- 835 Ictusque patitur glandum ac sero sapit
 Ad alia tendens. Gnaviter monent Duces,
 Ut corrigant errata, iustum in ordinem
 Redeant; minantur, increpant, docent, rogant.
 Urgendo perstat sedulus B a n n e r i u s .
- 840 Sed praepeditus glandis ictu T u r n i u s
 Medio fatiscit opere, non tam vulnere
 Fractus cruento quam vicem Sueonum dolens,
 Ut exterorum nemini cedit fide
 Regisque amore. R e x ubi ista percipit,
- 845 Dolore et ira totus intus aestuans
- [42] Aegerque curis ipse palantes petit
 Leviore vectus cymba aditque singulos.

Altum dolorem corde providus premens
Timore fractis robur addere satagit
850 Verbis amicis. 'Error est, socii, levis,
Corrigere facilis', inquit. 'Hac me remigem
Sequatur ille, qui decus vitamque amat
Patriaeque columen. Hostis hactenus fugax
Nunc terga vestra perforabit eminus ?
855 Qua tendo, ripam petite mecum et comminus
Nudate vultus, ferre quos nunquam potis !
Fugiet repente et praeda moles haec erit.'
Vox nota cunctis pellit extemplo metum
Phoeboque iam surgente vultus agnitus
860 R e g i s serenus, attamen Martem exprimens.
Redintegrari tota iam res occipit,
Dum iussa quisque peragit: Hi fluctus domant
Verbere iterato saepius, retrahunt rates
Errore lapsas. Arma ceteri manu
865 Versare gaudent. Litus optat quilibet
Videre destinatum et impatiens morae
Hostilem in agrum fervide saltum parat.
Cum mox (dolorem duplico vulnus refricans)
Ratis inopinum transvolat plumbum latus
870 Et ventris imas regii partes ferit.
Percellitur R e x vulnere, hominem sentiens
Et ad supernam praeparans se regiam:
[48] 'Ah, Domine, nostra qui tulisti vulnera,
Miserere saucii !' inquit. Et mox militem
875 Revocat frementem. Rebus adeo turbidis
Et sorte iniqua vult quiesci, occasio
Rebus gerendis donec opportunior.
Heu quantus animos omnium invasit dolor !
Quis gemitus et quis planctus ! Insolitae viris
880 Lacrimae cadunt per ora. Pars luctu stupet,
Pars ardet animo vindicare sanguinem
Tanti parentis. Mussitant Proceres, gemunt
Quatiuntque capita. Ceteris spem suggestur
Ipsi carentes forsitan, pleni metu.

Senator.

885 Malo boni qui non movetur Principis,
 Meruit iniquum. Maxime Proceres decet
 Timor. Timenda tuta cuncta providis.
 Quanto magis tam tristia ! Interea spei
 Quantum relictum, tantum et in malo est boni.
 890 Et nos superstes vita speremus iubet.
 Sed vota mox mandare fas est publica,
 Regem misertus sospitem ut reddat Deus.
 Diem querelis absque votis ducere
 Haud fert medelam. Sed iuvare qui potis,
 895 Votis benigne se Deus cogi sinit.
 Et Regiae iam coniugis solamine
 Firmandus animus. Utinam et hic vinci velit
 Servetque iustus quamlibet dolor malum !

[44]

Chorus Matrum nobilium.

Troiam cum peteret Dulichius rate,
 900 Absentem doluit Penelope virum.
 Alciden doluit Megara coniugem,
 Tunc cum praecipites ibat ad inferos,
 Quamvis victor ovans Tartara subdidit.
 Nos nostros pelagi mille periculis
 905 Et Martis toties expositos malis
 Heu, semper querimur, proficimus parum.
 Absentes lacrimis prosequimur licet
 Et totus rapitur pectore spiritus,
 Vix unquam reditus accelerant suos.
 910 Semper coniugibus publica praevalent.
 Vinctos compedibus laudis amor tenet,
 Aeternum stolidi pollicitus sibi,
 Phoebus perpetuum cum videat nihil.
 Vitam qui moriens longius extrahi
 915 Longaevis hominum laudibus aestimat,
 Iotas sera etiam quando rapit dies,
 Delusus specie bis moritur miser.
 Verum qui didicit caelitum decus
 Et vitam satagit vivere caelicam,

- 920 Huic nec vita perit nec decus interit.
 Raro sed nimium talia cogitans
 Frustra saepe perit Martius impetus
 Nec merces sequitur digna periculis.
- [45] Felix, o, nimium rustica Caria,
 925 Dilecto assidue quae potitur Nilo,
 Cum quo tuta domi dulce canit melos,
 Nunc summo residens culmine rupium,
 Nunc valle umbrifera, nunc viridi prato.
 Somnum dat Zephyro suave sonans nemus,
- 930 Dant et decidui murmura rivuli.
 Nec Martem metuit nec pelagi minas.
 Nos semper pavidas exanimat metus.
 Si quos ire vias irremeabiles
 Audimus, trepidans quaeque timet sibi.
- 935 Privatis aliud triste doloribus
 Ne maius veniat, haud metus est levis.
 Ipsi haud solitus parcere regibus
 Regem ne perimat Mars, misere timet
 Regina, ah, perhibens vulnere saucium.
- 940 Hoc si verus Amor nuntius attulit,
 Heu, commune malum et pernicies adest.
 Qui nos tam variis excruciat modis,
 Martem pro meritis odimus, odimus.
 Vindictam tenerae despiciat manus,
- 945 Linguae femineae spicula sentiet.
 Martem caelicolam qui statuit deum,
 Mentitur. Stygius nil nisi carnifex,
 Dignus, Tartareo qui lateat specu
 Et poenis rigidum sentiat Aeacum.

[46] Actus quartus.

[IV, 1] Franciscus Bernardus comes Turnensis. Ioannes Bannerius. Axelius
 Oxenstern.

Turnius.

- 950 Tutatus aras patrias dudum et focos
 Haud vulnus unquam pertuli. Fors sanguine
 Indigna nostro degener Germania,

- Magis Lavernae militare plurimum
 Bacchoque docta, Marte quam prisco potens.
- 955 Dignus cruento Turni, qui Turnio
 Cunctisque maior sceptrum Suedorum gerit.
 Germania istum si tulisset Principem,
 Nunc misera sors quanto foret beatior!
 Pro Rege tanto vulnus hoc tandem fero.
- 960 Fero lubens. Fudisse sanguinem parum est.
 Hunc, Regem salvo, spiritum lubens darem.
 Nunc intus animum sauciat multo magis
 Rex vulneratus. Horreo, indignor, fremo
 Ipsique honesto vulneri irascor meo,
- 965 Vindicta quo tam iusta nunc patitur moram,
 Vindicta magnis dulce solamen malis
 Solamen unum hoc rebus hisce tristibus,
 Gnava quod Aesculapiorum indagine
 Illaesa Regis esse constat ilia.
- [47] Haerere glandem ventris in pinguedine,
 Pertusa postquam fregit impetum ratis.
 Vitae ac salutis spem dat iste nuntius,
 Nobis medelam. Sentio vires novas,
 Nec detineri lectulo amplius queo.
- 975 Videre Regem gestio, ut sim certior.
 Ah, Regem salvo salva cuncta, et Turnii
 Vel saucii vindicta poscetur manu. —
 Sed iunctus, en, Bannerio Oxensternius.
 Occasio opportuna vindictae haec erit.

Bannerius.

- 980 Diomedis ictu saucia olim Cypria
 Et Mars adulter vindicare sanguinem
 Haud destitere. Nos inulti cernimus
 Lacerum, cruentum, sanguini immersum suo
 Martem pudicum, providum, fortem, pium,
- 985 Patriae parentem. Proh pudor! Quo vindices
 Abiere curae? Quis manus torpor tenet?
 Ubi gratus animus? Vis ubi iam pristina?
 Tantumne rebus prosperis fortis sumus?

Ah, urit animum iustus, o, nimium dolor.
 990 Puero doloris causa non levis fuit,
 Nimis fidelem cum S i g i s m u n d i fides
 Victoris irae tradidit quondam patrem
 Miserosque natos sprevit ingratum caput.
 Magni parentis nunc magis doleo vicem,
 995 Nostris misertus aequius qui patriam
 [48] Decusque tanto reddidit cum faenore.
 Doleo. Dolebo, donec immane, impium
 Ultrace dextera expiavero scelus.

Turnius.

Iustus dolor, vindicta iusta est. Sanguinis
 1000 Reliquum omne fundam, Regius ne sit crux
 Nobis inultus.

Oxenstern.

Si quis istos dixerit
 Haud laude dignos pectoris magni impetus,
 Fuerit iniquus. Attamen —

Bannerius.

Laudabilis
 Cur ardor impeditus ergo ? Abrumpere
 1005 Cur coepta miles R e g e iussus saucio ?

Oxenstern.

Laudandus animus gratus ac fortis; tamen
 Moderandus ardor mente semper provida.
 Saepe ulti esse qui cupit, adauget malum.
 Dum laedere alios tentat, ipse laeditur.

Bannerius.

1010 Laedar, perimar, hostis modo scelus luat.
 Communis hosti casus haud fortem gravat.

Oxenstern.

Sperare quisquis desiit, sic iudicat.
 Conandum, ut hostis stantibus nobis cadat.
 Sed ulti hoste stante si detur neci
 1015 Sociosque secum victus ad casum trahat,

An non triumphus maior hinc hosti venit,
 Probrum cadenti vindici maius? Quis hoc,
 Obtingere aliis quod solet, nobis neget
 Accidere posse?

Bannerius.

Fortis ira militis
 1020 Iam concitata spem dabat victoriae.

[49]

Oxenstern.

Spes saepe fallit. Nec deest spes hostibus,
 Idem nec ardor omnibus nostris erat.
 Robur dolore crescit his, illis metus.
 Tentanda sors ambigua nimium non fuit,
 1025 Iussisque R e g i s paruisse praestitit.

Turnius.

Mandare, quae Rex salvus ac sanus solet,
 Haud neglegenda fateor. Interim potest
 Incidere causa, innoxie cur neglegat
 Servus fidelis iussa. Cum mentem rapit
 1030 Febrilis ardor, morbus aut alias ferit
 Cerebrum iubentis, noxiun crebro foret
 Parere iussis. R e x nefando vulnere
 Turbatus animo, regna caeli cogitans,
 Terrena linquens arma, si quid viderit,
 1035 Quam vidit ante, obscurius, caligine
 Doloris impeditus, haud fuerit nefas
 Probrumque R e g i. Nec nefas ductoribus
 Forsan fuisset sponte sectari bonum
 Mandata tamquam regia ignorantibus.

Oxenstern.

1040 Incerta nimium commoda haud bona aestimo
 Emenda tot periculis. Sat perspicax
 Dolore medio R e x fuit. Nec expedit
 Obsequia temere denegare regibus.
 Speciosa quamvis ratio, publico nocet,
 1045 Malisque coeptis facile nimium assuescimus.
 Differtur interim, haud negatur ultio.

[50] Nec defutura occasio, qua sentiat
 Scelere superbus hostis ultrices manus. —
 Cubile nunc ad regium fas progredi.
 1050 Solamen aeger ipse R e x ac spem dabit.

[IV, 2] Gustavus Adolphus. Axelius Oxenstern. Franciscus Bernardus comes
 Turnensis. Ioannes Bannerius. Nuntius. Chorus Procerum belli.

Gustavus.

Adeste, Proceres, fida gens, grati hospites !
 Alloquia vestra ferre iam vires sinunt
 Et ipse fari perfero. Dolor est minor,
 Minus periculum, quam fuit visum prius.
 1055 Grates supremo Numini persolvite,
 Agnoscere hominem quod benigne nos docet
 Miseroque parcit supplici ! Ah, regum deus,
 Sublimis animus, corporis vires, opes,
 Duces periti, miles acer, obsequens
 1060 Ac totus orbis quid nisi umbra pulveris ?
 Consilia magna, saepius quae maximis
 Agitantur animis, quam levis res impedit !
 Conamen ingens, quamlibet bonum, tamen
 Summo haud volente Rege, successu caret.
 1065 Vult semper orbis rector ille, quod bonum,
 Bonum petenti non tamen dat quodlibet ;
 [51] Ius eligendi servat, ut fas est, sibi.
 Bonis dat interim, quod expedit magis.
 Seu laeta sint haec dona sive tristia,
 1070 Sufficere debet, quod bona esse iudicat,
 Et expedire, qui unus in solidum sapit.
 Hinc aequa mens ut acquiescat tristibus
 Summoque regi obsequia praestet, discite
 Mecum, nec animum casus hic frangat nimis.
 1075 Sors aequa cunctis, semper haud laetis frui
 Nec expediret. Facile nimium prosperis
 Mens intumescit immemor Dei ac sui.
 Facile secundis incitati Principes
 Excutere summi Numinis tentant iugum.

1080 Unde ira caeli, regna plena cladibus
 Solioque reges saepe depulsi iacent,
 Cum iure socium ferre Rex summus neget.
 Optanda sunt quandoque tristia regibus,
 Quibus monentur commodo quam maximo.

Oxenstern.

1085 Audire videor, provida quae Macedo
 Rebus secundis mente poscebatur deos,
 Ut temperandis, quae ferebantur, bonis
 Triste aliquid, animo ne efferatur, adderent.
 Gratamur istud, magne R e x , etiam tibi
 1090 Moderamen animi (rege quam dignum !) datum,
 Pietate natum, regibus rara, decus.
 Sperare virtus optima haec Regno iubet.

[52]

Gustavus.

Pietate spreta nemo sceptro dignus est.
 Parere populos quisquis optat sibi,
 1095 Obsequia regum maximo praestet prior.
 Ni faciat, animos qui regit mortalium,
 Hunc sibi profanus iure metuendum putet
 Deum haud amandum ne sit exosus suis
 Aliisque et hostis impium regno exuat.
 1100 Solamen adfert sola Pietas. Cetera,
 Quae leniendis saepe dicuntur malis,
 Inania omnia, ficta tantum insomnia,
 Solis piis adversa cedunt in bonum,
 Et tristia et secunda perdunt impios.
 1105 His pectus armis roborari regium
 Procerumque fas est. Verus hoc scutum ferat
 Bellator, alias perditus sicarius
 Aut carnifex infamis. Haec et vulnerum
 Medela vera ceterisque certior,
 1110 Vitam vel ipsa morte donans sauciis.
 Hanc tanta vobis adferentem commoda
 Commendo, Proceres. Tuque, Regis aemule
 Cruore fuso, sentias fructum precor,
 Magnanime T u r n i , Patriae et nostrum decus.

Turnius.

- 1115 Cruore nostro, magne Rex, si regium
Redimere fas fuisset, ut reliquum lubens
Fudissem! Ut animam hanc laetus etiamnum darem!
[53] Nunc quod negarunt Fata servando, tamen
Hoc vindicando sanguini, spero, dabunt.
1120 Et nostra pietas, debita haud tantum Deo,
Sed regio etiam vulneri probabitur.

Bannerius.

Mens illa cunctis, fervor idem. Durior
Est morte nobis ultionis haec mora.

Gustavus.

- Speciosus ardor dexteræ ultricis. Tamen
1125 Examinandus provide, quam sit pius
Et temperatus aequitate. Regium
Qui destinato sanguinem conamine
Profundit, unctum Numinis cum vulnerat,
Ipsum ferire Numen aestimandus est
1130 Poenisque dignus. Agmine ast medio hostium
Improvidus si forte quis Regem ferit,
Veniam meretur. Nec nefas ob unius
Saevire temere in plurimos fas aestimo.
Fors aequiores plurimi factum haud probant.
1135 Fors noster etiam fervor haud culpa vacat,
Humanus optimis ut error obrepit.
Satius supernam mihi monelam agnoscere
Quam vindicando provocare vindicem.
Depellat hostem, regna tutetur manu
1140 Miles. Sat est. Crudele nil patret volo.
Vindicta saeva vindicem poseit Deum,
Ut victus ulti Numine irato cadat.

Chorus.

- En nuntius, R e x magne, B r u n s b e r g a venit
[54] Hostile referens agmen urbi proximum.

Nuntius.

- 1145 Mihi visa referto et litteras testes fero.
Ductore cingunt moenia C a s a n o v i o

Turmae Polona e. Maximos animos gerunt
 Dudum fugaces; utque nostris sit metus,
 R e g e m peremptum clamitant ceu Stentores
 1150 Et iam triumphos spe canunt victoriae.
 Sollicita nostros cura R e g i s occupat.

Gustavus.

Credenda narras. Ilicet nostris refer,
 Quae cernis oculis! Vindicem mox adfore
 Promitte Regem saucium, sed militis
 1155 Cui cura fidi robur infundit novum!
 Hosti fugando vindices nunc dexteræ
 Optata peragant, quo tamen iussi, modo.
 Pars castra peditum subdita O x e n s t e r n i o
 Tutetur. Hostem ceteri mecum petant
 1160 Equitumque turmae. Huc indumenta seduli
 Portate, famuli, atque arma! Gressu huc commodus
 Ducatur equus! Haud ulla sit rebus mora!

Oxenstern.

Per Regna fida Regiaeque Coniugis
 Nostrosque gemitus oro, R e x magne, impetum
 1165 Compesce tandem! Saucio saltem quies
 Donetur aliqua. Numen haud tenta amplius!
 Aut peris et omnes tecum ad interitum rapis.

Gustavus.

Equo vehi ductore Martis dignius
 Quam lectulo cubare. Grata haec est quies.
 1170 Quae grata menti, sanitatem promovent.
 [55] Tentare Numen an sit hoc, quod molior,
 Examinetur, cum per hostem tutum erit.
 Non verba nunc, sed arma tempus exigit.
 Utrimque Numen invocetur interim,
 1175 Victoria aut beemur aut pulchra nece.
 Properate cuncti ad iussa! Quid cessant tubae?
 Turmae sonoris quin vocantur tympanis?

Oxenstern.

Ut aeger animo linquo R e g e m saucium
 Plenusque curis! Spiritum exhaustit dolor.

- 1180 Tali beatos R e g e nos hostes vocant,
 Suoque spreto optant sibi talem dari.
 Interea miseros saepe nos metu facit
 Haec fortitudo regia. Ah, quam lubrica
 Est ipsa virtus! Facile blanditur sibi
 1185 Laudata multum et tempore minus provida
 Suique amore caeca transit in malum,
 Repente vili molliter capitur dolo.

Chorus Procerum belli.

- Haud fert lubens habenas
 Generosior caballus.
 1190 Multo aegrius domatur
 Grege viliore frenis.
 Et robore insolescens
 Ac cursibus citatis,
 Dum libere vagari
 1195 Per cuncta laetus ardet,
 Pericla cuncta spernens
 [56] Crebro perit periclis.
 Mens alta sic potentum
 Vix flectitur monelis;
 1200 Ratione docta quamvis,
 Aegre impetum coercet.
 Vis illa celsa R e g i s
 Utinam velit domari
 Precibus sibique parcat,
 1205 Nobis pericla linquens
 Regni minore damno!
 At talibus videtur
 Usque irrito labore
 Vix spes adesse votis.
 1210 Nil undique est beatum,
 Iniquiora crebro
 A regibus ferenda.
 Nobis et hic feratur
 Nimium fidelis ardor.
 1215 R e g e m sed aemulantes
- Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Media inter arma Regis
 Certabimus fideli
 Ac pertinaci amore.

Actus quintus.

[V, 1]

Axelius Oxenstern.

- Miranda sors mortalibus crebro venit,
 1220 Inopina portans plurimum. Cum tristia
 [57] Visa est minari, laeta donat. Blandior
 Cum vultus, ingens fallit incautos malum.
 Acerba cuncta R e g e metui saucio,
 Et displicebat saucii, fateor, calor,
 1225 Frusta indumenti cuius audio vulnere
 Prodisse, postquam victor hostem depulit
 Brunsberg a. At omnia laetiora accepimus.
 Brunsberg a vindicata. Turpiter fugax
 Hostilis acies R e g i s haud vultum tulit,
 1230 Superstitis perculsa solo nuntio
 Et iam propinqui. Perfidi poenis scelus
 Luere cives, patriam qui prodere
 Conati et hostis advocaverant manum,
 Papale, scelere dignum, ut obtineant sacrum.
 1235 Gedani illa moles, Regii auctor vulneris,
 Parere R e g i iam coacta, nausea
 Evomuit uno R e g i s ietu nobiles,
 Quem casus, haud imbellium virtus dedit.
 Pavefacta solo fulmine aeris eminus
 1240 Ignava turba gloriari desiit.
 Bis sena fugiens aera magni ponderis
 Liquit triumpho L isemannus regio.
 Captosque Tisenhusium ac Doenhowium
 Astone, fidos Sarmatae regis duces
 1245 Aliosque centum quinques prensos fuga.
 Centena prope ter caesi Regi victimae
 [58] Sceleri expiendo verberante tergora
 Mavortis ira. Luce eadem Lesseli
 Toti que virtus attulit nobis decus

- 1250 Hostique maculam, Vistulae cunctis vadis
 Haud eluendam. Forte cum turmis decem
 Tribusque cincta Gedanorum in Insula
 Centum decemque quinquies equitum cohors,
 Pedites ducenti, fortiter facto impetu
- 1255 Aciem Poloni rumpere ausi et exitum
 Parare dextra, strage magna, equitum prope
 Aequante numerum, uno suorum hostilibus
 Cadente telis. Quattuor aquilas, indices
 Victoriae, victori ad evictum aggerem
- 1260 Tulere R e g i. Superat haec multis modis
 Hesterna felix quod dedit nobis dies,
 Felicior, si longior. Toto agmine,
 D i r s a v i a spectante, totis viribus
 Pugnavit hostis, clade tandem maxima
- 1265 Totus fugatus. Regio conamini
 Ni facta remora noctis instantis metu,
 Iam pulsus omnis protinus castris foret.
 Victoriam nunc prosequi R e g i placet.
 Servanda mihi D i r s a v i a. Hic etiam dies
- 1270 Felicia an daturus, ille dixerit,
 Qui cuncta novit. Magna sperat quilibet,
 Nec ratio dictat aliud. Attamen metus
- [59] Haud spe mihi minor. Error an sit hic meus
 Praesaga an haec a mente, metuentem latet.
- 1275 Crescit loquenti terror. Horror occupat
 Artus timenti Regis ut vulnus prius.
 Vanum sit omen, vanus horror! Interim
 Ego blandienti fidere haud Sorti audeo.
 Fidam fidi Numini et fundam preces,
- 1280 Ut, quod timesco, avertat a nobis malum.

[V, 2] Gustavus Adolphus. Ioannes Bannerius. Chorus Procerum belli.

Gustavus.

Equitum superbus robore hostis hactenus
 Nostrosque spernens damna iam sensit sua
 Spretisque vires equitis, haud media amplius
 Manu fugatus, pedite nullo. Quinques

6*

- 1285 Impacta nostris lancea haud damnum tulit.
 Incursus omnis vanus, acri quamlibet
 Conamine repetitus ac digno viris.
 Vix hostis unquam fortior; tandem tamen
 A fortiore victus et fugae datus.
- 1290 Fugatus omnis, quantus in castris fuit
 Nostrisque numero maior, at non robore.
 Meminerit huius ipse Konies polskius
 Salkoviusque, maximi hostium duces,
- [60] Equis peremptis vix pedum salvi fuga
- 1295 Alterque non sine vulnere. Hunc signent diem
 Equitesque post ridere nostros desinant.
 Ingrata Nox, quae damna victori dabas,
 Rupta phalange cum fugacem persequi
 Hostem vetabas! Alma Lux, meliora da
- 1300 Et lucis almae rector, arma qui regis!
 Vincamus aut moriamur. Hodie terminum
 Constitue belli! Victimam Paci offero
 Vel me vel Hoftem. Da, quod expediet, Pater!
 Peragenda, proceres, gnaviter quae sors dedit
- 1305 Coepisse. Trepidans hostis urgendus magis.
 Pedestris acies iuncta equitibus hostium
 Ad castra properet, unde prodire abnuit
 Bellator audax, scilicet fidens fugae.
 Impune fugiat? Aequius, ut emat fugam
- 1310 Decimasque solvat sanguinis nobis prius
 Et opima nostro castra linquat militi.
 Ut tuta sit fuga, tuta castra, muniit
 Haec nocte media sedulus ligonibus;
 Res digna risu visa prius. Aera ocius
- 1315 Hosti propinquis fulminent ex collibus
 Et complicatis iam metu tentoriis
 Dignum Vale dicatur. Alio tu tuos,
 Banneri, in hostem, qua monebo, ducito.
 Tutatus hostis castra rivus transitum
- [61] Dat parte laeva, qua serunt Rakiskii
 Agros coloni. Miles huic custos datus.
 Custode pulso ad castra nos ducet via,

Ambagine aliqua, non tamen longa nimis.
 Hac rumpere aditum fortis aude, qua soles
 1825 Virtute, Rigae qua petebas moenia.
 Ipse ego fidelis adero, monstrabo viam.

Bannerius.

Nimium fidelis. Iussa perficiam lubens;
 Lubentius, Rex magne, si parcas tibi.

Chorus.

R e x magne, manda, quod voles; parebimus.
 1830 Sed ipse tandem sortis humanae memor
 Monere, quod vel sola glans satis queat
 Membris inhaerens, regium serva modum!
 Sat iam cruoris fusum ab Hoste regii.
 R e g i s P o l o n i sanguini cum parcitur,
 1835 Te prodigum esse sanguinis parum decet.

Gustavus.

Regis Poloni scilicet factum sequar
 Macedone ille maior atque Regulo
 Aliisque, vitam qui dedere patriae.
 Ipsi ex Polonis quaerite, hic quid iudicent!

Chorus.

1840 Minora Regno damna sint Polonico
 Rege interempto; Rex tamen parcit sibi.

Gustavus.

Repeto: Ex Polonis quaerite, hic quid iudicent!
 Adsunt rogandi. Disputare qui volet,
 [62] Hos adeat, argumenta ferrea adferat.
 1845 Haud verba nunc, sed verbera hora flagitat.
 Ad postulata audite tamen hoc, quod satis:
 Grata est monela amoris. Huic morem geram.
 Pericula evitabo, qua fas Regibus.
 Virtute vos haec vincite, et merces erit
 1850 Virtute digna. Gnaviter nunc pergit,
 Socii! Secundet copta, qui potest, Deus.
 Nos occupandam ad semitam vehant equi.

[V, 3]

Axelius Oxenstern. Nuntius.

Oxenstern.

Turbatus animus anxio semper metu
Haud contineri uno diu loco potis.

1855 Huc vagor et illuc. Castra nunc D i r s a v i a e
Contigua peragro, nunc in urbem pes redit,
Egressus urbe nunc sequor R e g e m eminus.
Comes est ubique vulnerans mentem pavor.

Fecunda poenis viscera ut Titgi enecat

1860 Semper feralis vultur ille morsibus,
Sic mordet animum, vellicat, rodit timor.
Quaecunque glans exploditur, mentem ferit,
Dum metuo R e g i. Subvenit, pericula
Quae nuper adiit R e x inermis proelio

1865 Minore, capulus ensis quando regii
Confractus ictu audacis Hussari, impetu
Qui magno adortus, ceteros linquens, caput

[63] Regale et ictu pileo damnum tulit,
Galea carente Rege, inermis omnia

1870 Qui peragit unus, foedere icto scilicet
Cum Morte; Parcas solus aut terrens minis,
Vitae secare fila ne propere audeant.
Nunc rursum inermis, audio, R a k i s k i a s

Vult visere oras. Rarus it R e g i comes

1875 Et tutiore ceteri manent loco,
Ut, R e x quid explorator adferat boni,
Discant periclis regiis. Hoc quis probet
Nisi R e g i s hostis? Mente quis non horreat
Tandemque certam R e g i s exspectet necem?

Nuntius.

1880 Ah, ah, citato saucium ad R e g e m gradu
Accurre, Domine! R e x iubet, vultus avet
Videre Procerum. Metuo, ah, ut videat diu.

Oxenstern.

Satisne dixi? Saucius, dic, quo modo?

Nuntius.

Colle ex propinquo rivuli hostilis loca
 1385 Dum perspicillo longiore lustrat, ah,
 Emissa subito ex valle R e g e m glans ferit,
 Casum minata, fida ni Bannerii
 Equo levasset commode R e g e m manus.

Oxenstern.

Longinqua spectans saepe nescit, quod prope est.
 1390 Qua parte laesus ?

Nuntius.

Impium umeri dextri
 Excepit ictum pars propinqua gutturi.
 Vas aliquod ingens sanguinis ruptum indicat
 [64] Ingens crux fluxus. Hic medicorum ope
 Iam sistitur agris, cum moram haud longam ferat
 1395 Ducendi in urbem Regis, ah, quam languidi !

Oxenstern.

Hic fructus ille Regii tandem impetus.
 Hoc, Rex, volebas; ardor hoc suasit tuus,
 Agendo cuncta cuncta simul amittere.
 Visurus ibo, mente praevisum diu,
 1400 R e g e m peremptum, Regna nosque perditos.

[V,4] Ioannes Bannerius. Gustavus Adolphus. Chorus Procerum et militum.
 Axelius Oxenstern. Mercurius.

Bannerius.

Periere cuncta: sacra, patria, opes, decus
 Et quidquid usquam dulce. Nil reliquum est boni.
 Excussa manibus unico victoria
 Heu, R e g i s ictu. Fide nunc magnae spei
 1405 Sortique blandae! Ad hostis haec iam castra abit,
 Nobis reliquit tristia, horrida omnia.
 Letale vulnus R e g i s omnibus feret
 Letum, dolores, carceres, furcas, rotas
 Et quidquid Orco iniqua portat ultio
 1410 Fucata sacris. Pacis optatae diu

- [65] Frustra sequestri venerint Bickerius,
 Honardus atque Bellimontus, Batava
 A gente missi. Clade nimium turgidus
 Ista Polonus aut boni primordia
- 1415 Conaminis negabit aut saltem exitum
 Desideratum. Nil dabit gratum ferox.
 Spirabit arma. Flamina addet ac faces
 Intus Megaeram gens, foris Iesum gerens.
 Spes aucta fractis robur infundet novum.
- 1420 Truncata capite Suecia (heu, quam provido,
 Quam Marte docto) Marte quid dignum dabit?
 Mille involuta incommodis domi, foris
 Tandem Polonis praeda, tota concidet.
 Haec ego superstes videro? Ah, absit nefas.
- 1425 Gustave, te cadente fas, et ego ut cadam.
 Errore magno vulneratum est bracchium.
 Hoc, hoc petendum cor fuit. Utinam adhuc petat
 Et mille totum glandibus transverberet
 Crudelis hostis, gratus at nostra nece! —
- 1430 Iam ductat, ecce, saucium Oxensternius.
 Heu, triste fido militi spectaculum!

Gustavus.

- Dilecta Procerum et Martiae pubis cohors,
 Vobis parentem amore Regem agnoscitis,
- [66] Nec error est. Amore feci patriae
- 1435 Bonoque vestro, quidquid actum est hactenus.
 Regem fidelem, sedulum me praestiti.
 Toleranda nunc remora aliqua hoc a vulnere,
 Patriae atque vestro quod lubens bono fero.
 Quis sit futurus exitus, dabit dies.
- 1440 Vos pergit alares; qui fuistis hactenus,
 Manete! Patriae nil bono maius peto.
 Regis fidelis mens memor maneat lubens.

Chorus.

- Cruore Regis pectora intus aestuant.
 Hunc vindicare dextera qui negleget,
- 1445 Pereat nec unquam Marte felix gaudeat.

Oxenstern.

- Hac sede membris da quietem languidis,
 Turba remota paululum, et quae dixero,
 Ignosce, R e x , fors durius, iuste tamen !
 Servare magnus vix potest dolor modum.
 1450 Piscator ictus sapit. At idem, R e x , manes.
 Frenare qui se nescit, alios qui reget ?
 Haud fidus animus sufficit. Cauta omnia
 Agenda Regi. Neglegens Te neglegis
 Et Regna nosque et militum fidam manum.
 1455 Prodesse dum vis, maxime omnium noces.
 Nos perdis omnes, hostibus praedam obicis.
 Spernis monelas Regiaeque Coniugis
 Suspiria lacrimasque susque deque habes.
 [67] Toleranda semper Numini haec summo putas ?
 1460 Ignosce, R e x , aut dicta mox luam nece,
 Sint vera quamvis. Nam mori tecum lubet.
 Plorare qui me cogis, et mori iube !

Gustavus.

- Absiste dictis ! Vulneras mentem quoque.
 Animo quieto liceat, ah, R e g i mori.
 1465 Vita inquieta sat bono vestro fuit.

Oxenstern.

- Moriere semel, at mille nos mortes manent.
 Beata mors ut sit, dolere maxime
 Oportet animum criminis sibi conscientum.

Gustavus.

- Tantumne crimen Regis est indagine
 1470 Cognoscere, hostis unde pellendus, loca ?

Oxenstern.

- Sors misera Regum, proprio si lumine
 Lustranda cuncta, maxime armis cum carent.

Gustavus.

- Arma induebam nuper, haud tutus tamen
 Hostili ab ictu.

Oxenstern.

Vulnerata corporis

1475 Pars caruit armis. Pectus armatum fuit,
 Non venter imus. Nunc et ipsa pectoris,
 Tamquam lacessens Numen, arma respuis.
 Haec si tulisses, liber a malo fores,
 Cui Regna tecum involvis. Ah, quantum malum!

Gustavus.

1480 Labor impeditur pondere armorum nimis.

Oxenstern.

Etiam laboris temperandus est calor.

Moderata durant. Regis haud est unius

[68] Peragere cuncta. Sunt ministri regii,
 Proceres periti Marte, fidi, seduli.

1485 Laboris his mandare partem oportuit.

Absente R e g e quanta fecit G a r d i u s ,

Miraculi instar habitus ipsis hostibus !

Inest et aliis gnarus hic Martis vigor.

Gustavus.

Fors sera quereris. Si dabit vitam Deus,

1490 De temperando ardore consilia audiam.

Nunc digna venia iudicentur, Patriae

Quae fido amore facta, fors improvide.

Mystes vocetur. Sacra nunc ante omnia

Curanda, post et alia, qua vires ferent.

Mereurius.

1495 Iussu Tonantis quae benignus nuntio,
 Audite, Sueones ! Spem tenete ! Regium
 Letale vulnus haud tamen letum dabit.
 Pietate quoniam carus est R e x Numini
 Patriaeque multis utilis virtutibus,
 1500 Remittitur nunc error alter. Tertium
 Cave, cave, G u s t a v e , compesce impetum !
 Perit periclis, qui pericla diligit.

Verbesserte Druckfehler.

Vor V. 181 und 182 fehlen die Personennamen (auch in der 2. Ausgabe) —
 268 Fuêri — 924 sentiaraus — 337 fortes — 485 resonant — 623 Iavat —
 641 perticeps — 944 maum — 957 tulissit — 1133 tenere — 1187 vitio —
 1244 magis — 1293 hostum.

Fortgelassen haben wir die auf S. 69—71 angehängten Gedichte:
 'Ordinis Garterii honor Regi sancio a Britanniarum rege collatus' (vgl. Per
 Brahes Tänkebok, Stockh. 1806 S. 16: 23. Juli 1627), 'Epigramma in Quin-
 tum Curtium, in Suedicam linguam versum a D. Joanne Leeuhusen, Belga-
 Sueco' und 'Aliud'.

Änderungen und Zusätze der 2. Ausgabe (1633).

557 Dolorque rebus quamlibet — 598 Quod horret animus, scire nunc ta-
 men cupit — 951 Haud] Vix — 953 f. Vili Croatae tergora obvertens sua |
 Partimque turpe Ibericum ferens iugum — 1273 hic] haec — 1362 mentem]
 animum.

[4] Ad enudem Heroem Secundae Editionis Dedicatio.

Quae tragice Regem peritum Musa periclis
 Dixerat, heu, nimis hanc veridicam esse liquet.
 Ille quidem periit nobis, sed in aethere regnat
 Et semper magnus vivet in ore virûm.
 5 Te nunc Teutonidum Suconumque pericula poscunt,
 Magne Heros, virtus ut tua portet opem.
 Sunt alii Austriacis, fateor, virtute tremendi,
 Sed iunctas fas est undique ferre manus.
 Regis eras quondam Mavortis in arte magister,
 10 Post tibi discipulus discere multa dedit.
 Haec, dono Superum dum constant corpore vires,
 Communi libeat iungere cuncta bono.
 Sarmaticis veluti decoratus saepe triumphis,
 Sic et ab Austriaco laurea serta geras.
 15 Hoc tibi dat votum, dat fausta haec omnia Martis,
 Ecce, typis tragica haec Musa recusa novis.

[69]

Benigne Lector.

His ego quidem Regi ac Domino meo clementissimo pro viribus parentavi. Antehac res gestas eius, prout institutionem nancisci potui, variis opusculis praeter Tragoediam hanc descripsi, nempe Poematibus septentrionalibus, Riga devicta, Meva liberata, Poematibus Moscoviticis, Livonicis, Borussicis ac postremum anno superiore tribus libris Gustavidos seu de bello Sueco-Austriaco ac Miscellaneorum libro res regias magna ex parte tractante, quae omnia coniunctim aliquando edere statui, si Deus vitam et commoditates dederit telam inchoatam Gustavidos ad Regis gloriosissimam mortem usque pertexendi. Nunc non abs re mihi facturus videor, si Regis sapientissimi iudicium de fide et conatu meo et quo loco apud Maiestatem illam fuerim, hic quasi in Parenthesi adscribam. Interest enim mea, ut boni id scient, ob sinistros rumores et nonnulla, quae mihi ab aliis obtigerunt. Accipe ergo, benigne lector, Literas S. R. Maiestatis ad Illustrissimum Dn. Cancellarium datas paulo prius, quam in Germaniam Rex cum exercitu traiceret.

G u s t a v u s A d o l p h u s, Dei gratia etc. Gratiam et favorem nostrum singularem.

Generose, Nobis sincere fidelis, requisivit a Nobis humillime exhibitor harum, spectabilis atque doctissimus Nobis sincere fidelis Doctor J o h a n n e s N a r s s i u s , ut bona cum venia nostra liceret sibi domicilium suum in Borussiam transferre, tam ab causas alias quam ut informatione tua de actionibus nostris [70] more consueto publicandis gauderet. Quemadmodum ergo gravitatem eius in fideliter perfungendo officio suo laudamus, ita etiam clementer tibi iniungimus, ub non modo ea ipsi communices, quae prudentia tua iudicaverit esse propalanda, verum etiam in aliis studia eius ita promoveas, ut de favore nostro et erga literatos benevola animi propensione in posterum dubitare nequeat. Atque hisce te Deo commendamus.

Datum in Arce nostra Stockholensi, die 15 mensis Maii anno 1630 etc.

I n s c r i p t i o : Illustri et Generoso, Nobis sincere fideli, Nostro Regni que Nostrri Senatori, Cancellario ac ad Exercitum Nostrum in Borussia Legato ibidemque partium Nobis subiectarum Gubernatori generali, Domino A x e l i o O x e n s t i e r n a , Libero Baroni in Kimitho, Domino in Fyholmen et Tydöen etc. Equiti aurato etc.

Auf S. 57 folgen: 'Regis beatissime defuncti Funebria aliaque Miscellanea ad Dn. Gustavum Horn'. — S. 89 niederländische Alexandriner: 'Wonderliche Waterval tot Trolhetta in Sueden'.

Anmerkungen.

V. 13. 40 Gustav Adolf hatte 1613 mit Christian IV. von Dänemark Frieden geschlossen. — 14. 41 Ebenso 1617 nach zehnjährigem Kriege, in dem sich Jacob de la Gardie auszeichnete, mit dem Zaren Michael Romanow (Geijer,

Geschichte Schwedens 3, 97. 1836. J. Paul, Gustav Adolf, 1927—1933). — 16. 42. König Sigismund III. von Polen (1586—1632), der katholische Sohn Johans III. von Schweden und Vetter Gustav Adolfs, war 1599 durch dessen Vater Karl IX. vom schwedischen Throne verdrängt worden. Gustav Adolf eroberte 1621 Riga, 1625 Dorpat. — 44 Über den Plan der Jesuiten vgl. Geijer 3, 101. — 89 Pillau wurde am 26. Juni 1626 von Gustav Adolf besetzt (Geijer 3, 119, Hoppe S. 51). — 302 La Rochechelle, der feste Sitz der Hugenotten. — 370. 1248 Alexander Leslie (1579—1661), schwedischer Oberst; vgl. Israel Hoppe, Geschichte des schwedisch-polnischen Krieges in Preußen, hrsg. von Toeppen 1887 S. 114. 265. — 392 Wermiditt bei Elbing. — 401 Putzig bei Danzig, wurde am 29. März 1627 von den Schweden geräumt (Hoppe S. 164. Paul, Gustav Adolf 2, 66). — Carl Gyllenhielm, ein Sohn Karls IX., schwedischer Admiral (1574—1650). — 430 Oberst Sython, ein Schotte (Hoppe S. 167). — 458 Kaspar Otto v. Sperling († 1655). — 460 Oberst Åke Henriksson Tott (1598—1640. Hoppe S. 114. 185). — 470 Über das sog. Haupt vgl. zu V. 796. — 635 Die Amme der am 8. Dezember 1626 geborenen Prinzessin Christine. — 781 Über Gustav Adolfs Verwundung am 23. Mai vgl. Per Brahe S. 14. Paul 2, 68. — 796 Auf dem Danziger Haupt, der Landspitze, wo sich die Elbinger und die Danziger Weichsel trennen, landete Gustav Adolf (C. Friccius, Geschichte der Befestigungen Danzigs 1854 S. 19. Hoppe S. 170. 175). — Admiral Klas Fleming (1592—1644). — 815 Franz Bernhard v. Thurn (1592—1628), am 2. Juni verwundet (Hoppe S. 177). Oberst Johan Banér (1596—1641). — 829 Oberst Pierre Duvargie (Hoppe S. 374). — 1143 Der Zug gegen Braunsberg begann am 17. Juni (Hoppe S. 180). — 1242 Die Danziger Obersten Lissmann, Tiesenhausen, Friedrich Dönhoff, Arthur Aston (Hoppe S. 185). — 1292 Stanislaus Koniecpolski, der polnische Heerführer. — 1320. 1373 Radissky oder Rudaw (Hoppe S. 360). — 1383 Über die zweite Verwundung Gustav Adolfs am 18. August vgl. Hoppe S. 197, der Verse von Narssius zitiert, und Paul 2, 68. — 1411 Die niederländischen Gesandten Andries Bicker, Rochus van Honart und Simon van Beaumont (Hoppe S. 178).

1801-1802. Dichter, Schriftsteller, Naturforscher, & anderweitig interessant
Leben 1801-1802 und 1803-1804. 1801-1802. 1803-1804. 1805-1806.
1806-1807. 1807-1808. 1808-1809. 1809-1810. 1810-1811. 1811-1812.
1812-1813. 1813-1814. 1814-1815. 1815-1816. 1816-1817. 1817-1818.
1818-1819. 1819-1820. 1820-1821. 1821-1822. 1822-1823. 1823-1824.
1824-1825. 1825-1826. 1826-1827. 1827-1828. 1828-1829. 1829-1830.
1830-1831. 1831-1832. 1832-1833. 1833-1834. 1834-1835. 1835-1836.
1836-1837. 1837-1838. 1838-1839. 1839-1840. 1840-1841. 1841-1842.
1842-1843. 1843-1844. 1844-1845. 1845-1846. 1846-1847. 1847-1848.
1848-1849. 1849-1850. 1850-1851. 1851-1852. 1852-1853. 1853-1854.
1854-1855. 1855-1856. 1856-1857. 1857-1858. 1858-1859. 1859-1860.
1860-1861. 1861-1862. 1862-1863. 1863-1864. 1864-1865. 1865-1866.
1866-1867. 1867-1868. 1868-1869. 1869-1870. 1870-1871. 1871-1872.
1872-1873. 1873-1874. 1874-1875. 1875-1876. 1876-1877. 1877-1878.
1878-1879. 1879-1880. 1880-1881. 1881-1882. 1882-1883. 1883-1884.
1884-1885. 1885-1886. 1886-1887. 1887-1888. 1888-1889. 1889-1890.
1890-1891. 1891-1892. 1892-1893. 1893-1894. 1894-1895. 1895-1896.
1896-1897. 1897-1898. 1898-1899. 1899-1900. 1900-1901. 1901-1902.
1902-1903. 1903-1904. 1904-1905. 1905-1906. 1906-1907. 1907-1908.
1908-1909. 1909-1910. 1910-1911. 1911-1912. 1912-1913. 1913-1914.
1914-1915. 1915-1916. 1916-1917. 1917-1918. 1918-1919. 1919-1920.
1920-1921. 1921-1922. 1922-1923. 1923-1924. 1924-1925. 1925-1926.
1926-1927. 1927-1928. 1928-1929. 1929-1930. 1930-1931. 1931-1932.
1932-1933. 1933-1934. 1934-1935. 1935-1936. 1936-1937. 1937-1938.
1938-1939. 1939-1940. 1940-1941. 1941-1942. 1942-1943. 1943-1944.
1944-1945. 1945-1946. 1946-1947. 1947-1948. 1948-1949. 1949-1950.
1950-1951. 1951-1952. 1952-1953. 1953-1954. 1954-1955. 1955-1956.
1956-1957. 1957-1958. 1958-1959. 1959-1960. 1960-1961. 1961-1962.
1962-1963. 1963-1964. 1964-1965. 1965-1966. 1966-1967. 1967-1968.
1968-1969. 1969-1970. 1970-1971. 1971-1972. 1972-1973. 1973-1974.
1974-1975. 1975-1976. 1976-1977. 1977-1978. 1978-1979. 1979-1980.
1980-1981. 1981-1982. 1982-1983. 1983-1984. 1984-1985. 1985-1986.
1986-1987. 1987-1988. 1988-1989. 1989-1990. 1990-1991. 1991-1992.
1992-1993. 1993-1994. 1994-1995. 1995-1996. 1996-1997. 1997-1998.
1998-1999. 1999-2000. 2000-2001. 2001-2002. 2002-2003. 2003-2004.